

## GEORGICON II

nec uarios inhiant pulchra testudine postis  
 inlusasque auro uestis Ephyreiaque aera,  
 alba neque Assyrio fucatur lana ueneno, 465  
 nec casia liquidi corrumpitur usus oliui;  
 at secura quies et nescia fallere uita,  
 diues opum uariarum, at latis otia fundis,  
 speluncae uiuique lacus, at frigida tempe  
 mugitusque boum mollesque sub arbore somni 470  
 non absunt; illic saltus ac lustra ferarum  
 et patiens operum exiguoque adsueta iuuentus,  
 sacra deum sanctique patres; extrema per illos  
 Iustitia excedens terris uestigia fecit.

Me uero primum dulces ante omnia Musae, 475  
 quarum sacra fero ingenti percussus amore,  
 accipiant caelique uias et sidera monstrent,  
 defectus solis uarios lunaeque labores;  
 unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant  
 obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant, 480  
 quid tantum Oceano properent se tingere soles  
 hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.  
 sin has ne possim naturae accedere partis  
 frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,  
 rura mihi et rigui placeant in uallibus amnes, 485  
 flumina amem siluasque inglorius. o ubi campi  
 Spercheosque et uirginibus bacchata Lacaenis  
 Taygeta! o qui me gelidis conuallibus Haemi  
 sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!  
 felix qui potuit rerum cognoscere causas 490  
 atque metus omnis et inexorable fatum